

certam apprehensionem intellectus aliquid sentire dicamur. Experientia vero angelis attribui potest per similitudinem cognitorum, et non per similitudinem virtutis cognoscitivæ. Est enim in nobis experientia, dum singularia per sensum cognoscimus; angeli autem singularia cognoscunt, sed non per sensum. Similiter dicendum quod phantasia proterva attribuitur dæmonibus ex eo quod habent falsam practicam existimationem de vero bono. Deceptio autem in nobis proprie fit secundum phantasiam, per quam interdum similitudinibus rerum inhæremus sicut rebus ipsis, ut patet in dormientibus et amentibus.

Præterea cum dicimus in secunda thesis parte, neque penitus sublata est angelis cognitio quæ fit per gratiam, non vero affirmamus quod aliqua dæmonibus detur gratia, sed respectum instituimus ad cognitionem quam dæmones habent non ex perspicacia naturalis intellectus, sed, ut ait Magister, ex sanctis angelis quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt jussu ejus sibi revelantibus. Ad hujus intelligentiam permaxime faciunt hæc quæ S. Bonaventura habet in expositione Magistri:

«Pro vero habendum est quod dicit Isidorus et Augustinus, quod dæmones aliqua præsciunt revelatione supernorum spirituum, cujus revelationis attendendus est finis et modus; finis, quia mirabilis sapientia per inimicantes sibi implet voluntatem suam; unde sicut revelatio somni de exaltatione Joseph, facta insidiantibus, secundum mirabilem Dei dispositionem fecit ad ejus impletionem, licet secundum intentionem illorum esset ad impedimentum, sic Deus ita ostendit per angelos suos dæmonibus, ut, dum illi obviant, aliquid valde decens et competens ordinatissime impleat et eliciat. Attendendus est etiam modus; duplici nempe modo fit revelatio; aliquando mentis illustratione, sicut fiebat sanctis prophetis, et hæc est gratia; aliquando vero sola prædicatione, sicut homo revelat aliquando voluntatem suam, et hoc non est gratiæ aliquo modo perficientis vel elevantis naturam, sed potest esse opus misericordiæ si illud ordinetur ad bonum ejus cui prædicatur; vel justitiæ, si ordinetur ad punitionem alicujus mali, utpote si ad fallendum fallaces; vel utriusque si simul ad utrumque, et ita est quasi semper.

Pro prima thesis parte, nempe, in malis angelis non est obtenebrata facultas naturalis cognoscendi, hæc habet D. Thomas in expositione super Magistrum. «Dicendum quod culpa naturam non aufert. Ex ipsa autem natura angelica dæmonibus acumen scientiæ convenit; unde adhuc post culpam manet in eis. Ex sua autem natura habent acumen scientiæ respectu quorundam immediate, quantum ad eam scilicet quæ naturali cognitioni angelorum subjacent, sicut sunt universales causæ universi, et ad hoc dicuntur esse acuti per subtilitatem naturæ. Respectu autem aliorum habent acumen scientiæ ex sua natura mediate, et hoc dupliciter; uno modo ex parte cognoscentis naturæ, quæ quanto propinquior est naturæ bonorum spirituum, facilius ab eis addiscere possunt, et sic dicuntur esse acuti per revelationem bonorum spirituum respectu illorum quæ naturalem cognitionem excedunt; alio modo ex parte actualis cognitionis, in quantum scilicet ex eis quæ naturaliter cognoscunt, aliquam conjecturam